



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XLII. Laus Iustitiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

illos de mensa versus, aut se de media refectione
ad suum cubiculum surrecturum.

V. *ab exemplis eorum*, qui ob hoc peccatum seuerè
à Deo puniti sunt, de quibus consule Theatrum
Vindictæ Divinæ.

In *EPILOGO hortaberis Auditores*, ut non solum
non detrahant proximo, sed nec aures præbeant,
ut accomodent detractoribus, ac eorum vitium,
ut loquitur Paulinus, nutriant audiendo, imò ita
se contra hoc vitium arment, ut apud eos nemo
detrahere audeat, societatem detractorum sedulò
refugiant, vel ab ea, si quando fortè in eam incide-
rint, illicò se separent, nec facilè eorum dictis fidè
accòmodèt, imò modestè detractores corrigāt, vel
commonefaciant, ut ad alium sermonè transeant.

XLII. LAUS IVSTITIÆ.

EXORDIUM à *querela*, quod hac mundi senectū
sint pauci, quibus conveniat descriptio viri ju-
sti, quam justus æquique tenacissimus Rex propo-
nit David Ps. 14. *Qui non egit dolum in lingua, nec fe-
cit proximo suo malum, & opprobrium, non accepit ad-
versus proximos suos, qui jurat proximo suo, & non de-
cipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & mu-
nera super innocentem non accepit.*

Eze. 18. v. 7.
vir si fuerit
&c.

PROPOSITIO & PARTITIO. Tibi deliberatum *i. de officio*
esse de laudibus Iustitiæ dicere. Evenire autem *c. 28.*
tibi quod solet iis, qui ad opipare instructam mē-
sam sedentes deliberant, cui primùm fereulo ma-
nus admoveant. Nam in tanta rerum laudandarū,
quas Iustitia in se complectitur copia, difficillimū
esse constituere, de quibus potissimum dicendum
sit. Existimari tamen te, satis fore, si ejus præstan-
tia, necessitas, & utilitas explicetur.

CONFIRMAT I. LOCUS, à *præstantia Iustitiæ*,
quā S. Ambrosius his verbis proponit: *Magnus, ait,*
justi-

iustitia splendor, quæ aliis potius nata, quàm sibi communitatem & societatem nostram adiuvat, excelsitatem tenet, ut suo iudicio omnia subiecta habeat, opem alijs ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula suscipiat aliena. Quis non cuperet hanc virtutis artem tenere?

Isai. 56, 19. II. à necessitate, quàm inde intelligimus, quòd Spiritus sanctus in Verbo suo eam mandet, & contra iniustitiam omnem damnet. Eandem exaggerat S. August. cum ait 2. de Civ. Dei c. 19. 21. Remota iustitia quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Et cum lib. 19 de Civ. Dei c. 21 ait, sine ea nullam posse esse Rempub. Cic. de offic. Tanta ait, vis est iustitia, ut illi quidem qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine ulla particula iustitia vivere.

III. Ab utilitatibus variis, quas non reticuit Spiritus S. Solomon enim ait. Iustitia eleuat gentes. Et, Iustitia firmatur solium. Et: Melius est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate. Et: Abominatio est Domino via impij, qui sequitur iustitiam diligitur ab eo. Et: Pro iustitia agonizare pro anima tua, & usq; ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Et Christus Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. In quæ verba sic scribit S. Chrysost. Non dixit: Beati qui iustitiam servant, sed qui esuriunt & sitiunt iustitiam, ut non mediocriter, sed cù omnicupiditate iustitiam teneamus. Quia enim hoc est avaritia proprium, neq; sic cibum desideramus & potum, ut possidere latius, induiq; pretiosius, concupiscentiam istam, qua habendi amore flagrat, iubet in meliora converti: Deinde rursus, sensibile premium statuēs, ait, quoniam ipsi saturabuntur. Quia enim plurimos divites facere putatur avaritia, dicit hoc esse contrarium, magisq; id prestare iustitiam, &c. Certè si perfectè coleretur iustitia, arma exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur, imicitiarum ignota essent vel nomina, exularent fraus, dolus, & uni-

Syr. 18. v. 19

Deu. 25, 13.

Prov. 16, 10.

Cap. 20. v. 1.

Syr. 4. v. 3.

Hom. 15.

& universa flagitia: eorum verò locum succederent quæcunq; mundus expertus est aurea ætate.

IV. ab exemplorum Ethnicorum, tum Christianorum; qui justitiam maximè coluerunt. Cambyfes Rex Persarum mandavit iniqui cuiusdam judicis pellem ex corpore detrahi, eamque induci sellæ, in qua illius filius judicaturus sedere debebat, ut si cancellos justitiæ transgredi cogitaret, idem supplicium timeret.

Vide Val.
Max. lib. 5.
6. 5. de justitia
Ci. 3. de
offi. & 2. de
Leg. Gel. li.
3. c. 8.

In EPILOGO monebis Auditores, ut quo rectius & diligentius se exercent in hac virtute, constanter in anima proponant, se nihil facturos, nisi quod veritati & virtuti sit consentaneum, & fugiant ea vitia, quibus ab exercenda justitia revocamur, avaritiam, receptionem personarum, munerum corruptelam, usuram, simoniam; ament verò sororem justitiæ pacem & concordiam.

XLIII. PARÆNESIS AD MORTIFICATIONEM Passionum vel cupiditatum.

IN EXORDIO expones, quid sit propriè mortificare passiones animi, quòd mortificemus eas, cum perturbationes animi, simulatque exortæ fuerint, domamus, carnis ad cibum vel potum immoderatum pronæ cupiditatem coërcemus, & judicium voluntatemq; propriam spòte subjicimus alienæ.

PROPOSITIO: Cum igitur S. Scriptura frequenter nos moneat, ut cupiditates carnis mortificemus (Rom. 8. 13. Col. 3. 5.) ut concupiscentiis carnis, quod idem est, nō pareamus, (Syr. 18. 30. Rom. 6. 12. Rom. 13. 14. Gal. 5. 1. 1. Per. 2. &c.) ut carnem affligamus, (Mat. 10. 38. 1. Cor. 9. 27. Gal. 2. 19. Gal. 5. 24.) & ut nos ipsos odiamus, & abnegemus (Luc. 14. 26. & 9. 23. te utilitatem & necessitatem hujus exercitii Auditoribus in memoriam revocaturum.

CONFIRM. I. LOCUS, ab utilitate mortificationis passionum. Nam PRIMÒ; naturam corruptam in nobis